





DE  
TRANSITV ET ADMISSIONE  
LEGATI

EXERCITATIO IVRIS GENTIVM

Q V A M

ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS

AVCTORITATE

P R A E S I D E

**D. CHRISTIANO RAV**

CODICIS PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO, ECCLESIAE  
CATHEDRALIS MERSEBURGENSIS CAPITVLARI ACADEMIAE  
DECEMVIRO, SVPREMAE CVRIAЕ PROVINCIALIS ET  
FACVLTATIS IVRIDICAE ASSESSORE

A. D. VI. APRILIS A. C. N. CIOIOCCXCVII

DEFENDET

A V C T O R

IOHANNES HENRICVS HILLER

LIPSIENSIS

---

LIPSIAE

IMPRESSIT CAROLVS TAVCHNITZ.





I.

*Notio Legati.*

Illustre iuris gentium de Transitu et Admisione Legati argumentum exposituri, merito ante omnia necessarium esse duximus accuratam praemittere notionem Legati, ne fortasse nobis obiiciat aliquis, nos sine principiis disputasse. Itaque est nobis Legatus persona, quam iure summi imperii gens libera ad externam gentem publicorum negotiorum tractandorum causa misit. Cum enim gentibus acciderit id, quod singulis hominibus, ex quo firmandae securitatis causa in ciuitates colligi coeperunt, ut quemadmodum homini homo, ita etiam gens genti multum et obesse et prodeesse possit, neque tamen illa ciuitas salute atque incolumitate frui queat, nisi aliae a laedendo prorsus abstineant, omnesque sibi inuicem ad mutua commoda promouenda auxilium praestent; necessario oportuit multa inter gentes existere negotia, quae ad pacem vel retinendam, vel recuperandam spectant, aut etiam ad obtainendam et augendam earum utilitatem pertinent. Quae quidem negotia quamvis etiam summorum imperantium mutuis colloquiis aut epistolis confici possent, et nonnunquam vere confecta sint, quem-

A



admodum hoc luculenter probant exempla a viris doctis eam in rem allata a), cum tamen utrumque magnas habeat difficultates, propterea, quod sumtuum magnitudo, qua opus foret, frequenter ipsorum imperantium conuentus impediret, litterarum autem commercium plerisque gentium negotiis solum eo minus sufficeret, quo magis praefentiam postulant res grauioris momenti atque difficiles, quae sensim, captis ex temporum et causarum vicissitudine consiliis, ad exitum perducendae sunt; rete profecto existimarent gentes mutua illa negotia longe facilius atque feliciter.

a) Exempla conuentuum a Regibus et Principibus habitorum collecti. *Io. Henr. BOECLERVS in Diff. de colloquiis et congregatis Principum;* in eius Dissertationibus iunctim editis Tom. I. Num. XXXV. p. 1018. seq. Edit. secund. quae Argentorati An. c1510 ccl. tribus Tomis prodidit. His addi possunt ex historia Galliae illustria regiorum conuentuum exempla Ludovici XII. et Ferdinandi Catholici Hispaniarum Regis, nec non Francisci I. et Henrici VIII. Angliae Regis, quae ex THYANO Lib. I. cap. 2 Edit. London. Tom. I. pag. 7. et HENAVT Abregechroniq. ad ann. c1510 xx. commemoeravit Illustrissimus atque Excellentissimus Dominus Christ. Gorrb. L. B. à GUTSCHMIDT in eru-

ditissima Dissertatione de praerogatiis ordinis inter legatos Cap. I. §. 13. not. 1). Ut raceam recentissima, quae ipsa nostra aetas vidit, exempla Diui Iosephi II. Romanorum Imperatoris et Catharinae Russorum Imperatricis conuentum in urbe Monasterio celebrantium, nec non Pii VI. Pontificis Maximi cum eodem Imperatore Viennae congressum habentis. Initae autem per mutuas Regum literas pacis exemplum memoratu in primis dignum, quod deruderunt Djuus Augustus II. Poloniae et Friedericus Suecorum Rex, epis. stolis datis Holmiae IX. Maji c1510ccxxix. et Varloviae II. Jun. eiusdem anni idem Illustrissimus L. B. a GUTSCHMID. c. l. laudauit.

cius tractari posse, si mitterent sibi inuicem homines, qui praesentes absentium commodis prospicerent et publico nomine publicas illas res peragerent. Communi nomine hos veteribus iam alegatos, legatos, nuntios, interpretes, ministros etiam et oratores dici coepisse, clare appetet ex locis, quae *Car. PASCHALIS b), Herm. KIRCHNERVS c), Alber. GENTILIS d), et Just. PRESBEVTA e)* magna copia collegerunt, qui horum vocabulorum originem et variam apud Romanos in primis significationem diligenter scrutati sunt. Eum autem solum Legatum recte dicimus, quem gens libera genti, imperans imperanti, gentium iure ad tractanda publica negotia mittit. Nam quae Princeps, qua persona priuata sui solius commodi causa cuidam ex amicis expedienda mandat negotia, aut quae inter Principem eiusque potestati subditos, aut inter ciues civili discordia seiunctos, et cum priuatis hominibus per nuntios atque missos voluntatis interpretes peraguntur, ea ab interno cuiusvis ciuitatis publico priuatoque iure pendunt, neutquam vero ex eo, quo gentes ab imperio humano liberae erga se inuicem vtuntur, aestimanda veniunt. Cum enim, quemadmodum *Cornel. van BYNCKERSHOECK f)* obseruat, Legatos mittere eius duntaxat sit, qui summum imperium habet, utique Princeps vel populus, qui sui iuris est, legatos mittit ad alium Principem vel populum, qui non minus est sui iuris, et

b) in *Legato* cap. 2. 3. 4. et 5.      e) de *iure Legationis Statuum Imperii*.

c) in *Legato Lib. I. cap. I.*      f) *Quæst. iur. Publ. Lib II. cap. 2.*

d) de *Legationibus* Lib. I. cap. pag. 202. sep.

inter hos demum iura Legatorum perfecta constant. Nam ut legatio pleno iure vtrimeque consisstat, status vtrimeque liber desideratur, qui si ab una tantum parte liber sit, ab ea missi duntaxat iure Legatorum vtuntur, ab alia missi ad externum Principem, habentur pro nuntiis, ad suum pro subditis, ita vt in eos Princeps exercere posse id ius, quo in reliquos subditos gaudet. Vnde cum contra Romanos Bataui rebelles ad Petilium Cerealem mississent Legatum cum litteris, nullo iis responso dato, quibus neque legationis ius erat, ipsum Legatum Romam misit Cerealis, puniendum scilicet, si et ipse reus deprehenderetur, quemadmodum **TACITVS** g) memoriae prodidit. Et Ludovicum Bauarum Imperatorum anno **ccccxxvii**. Pisaniorum, qui ipsum in urbem suam recipere detrauerant, Legatos ad introitum redimendum missos comprehendendi iussisse **Nicol. BVRGVNDVS** h) commemorauit.

## II.

### *Diuersi Ordines Legatorum et varia Genera.*

Haud parum vero Legati inter se differunt, quandoquidem alter dignitate alterum atque splendore praecedit. Cum enim quidam mittantur cum eminenti ac summo honore, ita, vt iis tribuatur character, quo personam mittenitis repraesentent, alii contra fine tali charactere ablegentur, non potuit non inde enasici discriben inter legatos primi et secundi ordinis. Illos nempe di-

g) *Lib. IV. Histor. cap. 75.*

h) in *Histor. Bauar. Lib. II. pag. 102. edit.*

cunt, qui ex tributo ipsis charactere mittentem repraesentant, et, sicuti *Jo. Nicol. HERTIVS* i) Ciceronem k) de C. Popilio loquenter fecutus ait, faciem veluti mittentis, auctoritateisque reipublicae secum adserunt; hos vero, qui absentis sine charactere, vi cuius eum repraesentare possint, negotia peragunt. Certe hoc differimen, licet in priscarum quidem gentium monumentis haud obuium, et ab ipsis adeo recentioribus iuris legationum interpretibus, *Alber. GENTILI*, *Claud. PASCHALIO* aliisque, qui fuerunt conuentibus pacis Westphalicae seculi superioris anteriores aut plane silentio praeteritum, aut saltem non satis distincte propositum, tamen inde a temporibus tractatum huius pacis non tantum in aulis congressibusque Principum obseruari, sed etiam a scriptoribus luculentius tradi coepit. At venit omnino is tantum character repraesentatius hoc loco in contemplationem, qui mera honoris praeminentis signa complectitur, quo mores gentium Europae hodierni legatum primi ordinis instructum, neutquam vero reliquos ablegatos condecoratos volunt. Nam caeteroquin omnis Legatus, si negotia ab eo tractanda respicias, personam gentis mittentis sustinet, cum is, qui legationis munus obit, secundum ius gentium vniuersale ipsum statum gentis naturalem nanciscatur. Vsu autem effectum est, ut communi consensu, primi ordinis Legatus, charactere, quo mittentem repraesentat, insignis, peregrina voce, quam suo unaquaque gens sermoni aptauit, appelletur. Vide is Italis audit *Ambasciatore*,

i) *Element. prudent. civil. Part. I.*    k) in *Orat. Philipp. VIII. cap. 8.*  
Sect. IX. §. VII. pag. 184.

Francogallis *Ambassadeur*, Anglis *Ambassador*, Hispanis *Embaxador*, in scriptis publicis autem latino idiomate exaratis *Ambasciatoris* vocabulo insigniri solet; quemadmodum Germanis *Botschafter* et *Abgefandte* dicitur, cum distingui nimirum coepit inter *Abgefandten* et *Gesandten* i), vt prior appellatio Legatis primi ordinis propria, posterior Legatis vtriusque ordinis communis esse videatur, quicquid etiam contradicat *Gottfr. STEVIVS m)*, cuius errorum abunde confutant ea, quae *Jo. Jac. MOSERVS n)* ex actis publicis commemoravit. Hoc autem discrimen inter Legatis, quemadmodum magno consensu plerique recentiores de Legatis et iure legationum scriptores tanquam usui consentaneum agnoscunt, ita quoque summis his diuisionis generibus nullum adhuc aliud addi posse, vel inde appareat, quod charactere, quem repraesentatium vocant, ornari aut illo destitui, ita sibi inuicem opponuntur, vt Legatus, qui alterutro haud comprehendendatur, cogitari mente omnino nequeat, licet caeteroquin unicuique generi plures subelle formas posse haud repugnet. Nam etsi immutare hanc diuisionem ordinesque Légatorum augere voluit *Sarraz du FRANQUESNAY o)*, dum Operis sui Lib. I. cap. I. primo ordini

i) Voces illas *Gesandter* et *Abgefandter*, vt discrimen statim in occurso incurrat inter Legatum primi articuli secundi ordinis medio denum saeculo XVII. usurpari coepisse me-

m) im Europäischen Hofceremoniel Lib. III. cap. 8.

los incurrat inter Legatum primi articuli secundi ordinis medio denum

n) im Teutschchen Staats-Rechte Tom. XXXV. pag. 254.

saeculo XVII. usurpari coepisse me-  
morat *Abrab. de WICQUEFORT dans l' Histoire des Provinces Unies des Paysbas* Tom. I. pag. 119.

o) Jaques de la Sarraz du Franquesnay le Ministre public dans les Cours étrangères, ses fonctions et ses prerogatives. à Amsterdam 1731. 12.

adscriptis *Les Ambassadeurs*; secundo cap. 7. *Les Envoyés extraordinaires*: tertio denique cap. 8. *Les Résidens*: idque ipsum etiam fecisse animaduertimus adhuc alios, laudatos iam ab auctore anonymo libelli Francogallico idiomate exarati p), quem Jo. Jac. MOSERVS q) praefationi libro, quo pacem Belgradi initam commentatus est, praemissae adiecit, quibusque addimus Joh. L. B. a PACASSI r) et Illustrissimum Virum Diet. Henr. Ludov. L. B. ab OMPTEDA s) nec non Car. Ant. L. B. de MARTINI t); eo minus tamen a nobis impetrare possumus, ut hanc diuisionem amplectamur, quo grauiores sunt dubitationes, quae fundamentum eius subuertere videantur. Egregie enim obseruauit Illustrissimus atque Excellentissimus L. B. a GUTSCHMIDT u) Vir de pa-

p) Titulus huius libelli est *Discours sur les différens Caractères des Envoyés extraordinaire, des Envoyés ordinaires, ou Résidens et des Agents reueux du Caractere de Résident*, à Amsterdam 1700 ccccxxxvi, eumque Vir Illustris Georg. Fried. a MARTENS in Prim. Lin. Iur. Genr. Europ. pract. Lib. VII. cap. I. §. 149. not a) pag. 142. Christiano Ludo- vico Hagedornio tribuit.

q) in der *Vorrede zum Belgradischen Friedensschluß*, quae titulum habet: *von den dermaligen üblichen Garantien der Gefändren und anderer öffentlichen Personen*. Jen. 1740. 4. pag. 36 seq.

r) in der Einleitung in die sämmtlichen *Gesandtschaftsrechte*. Wien 1777. 1. Abschn. §. 6. pag. 15.

s) in der *Litteratur des gesammten sowohl natürlichen als positiven Völkerrechts*. Regensburg 1785. im 2. Theil 2. Hauptf. 1. Cap. §. 231-235. pag. 553 seq.

t) in der *Erklärung der Lehrsätze über das allgemeine Staats- und Völkerrecht*. T. II. cap. VIII. §. 152. pag. 120.

u) in *Dissertatione elegantissime eruditissimeque scripta de praerogativa ordinis inter Legatos*. Lips. 1755. cap. II. §. 26. not. x)

tria nostra et litteris immortaliter meritus, cum ipse Sarraz du Franquesnay allegatos extraordinarios, quos *Envoyés* appellant, charactere repraesentatio aequa, ac Residentes carere haud diffiteatur, inconcinnum esse forma, quae generum vni subest, genera Legatorum augeri, praefertim, cum discrimina ministrorum publicorum, qui sine charactere repraesentante *Envoyé* vel *Residens* appellantur, sibi non semper constent, sed varient et a diuersa aula rum consuetudine pendeant. Vtriusque generis Legati vel ordinarii sunt, vel extraordinarii, quorum illi perpetua legatione funguntur et ad tempus nimis longum apud eum, ad quem missi sunt, commorantur, hi vero negotium tantum peculiare quoddam sibi commissum expedient, eoque peracto rursus discedunt, ceterum tamen maiorem auctoritatem, quam reliqui Legati aut praeципuum prae illis ius non habent. Et cum praeterea quibusdam Legatis liberrima tractandi negotia potestas tribui soleat, hi Plenipotentiarii dicuntur, quorum originem a Francogallis potissimum repetendam *Jus. PRESBEVTA v*) existimauit. Neque tamen hi peculiarem ordinem constituant, sed modo Legatis primi ordinis, modo Legatis secundi ordinis accensentur. Recte enim *Caesarin. FÜRSTENERIVS w*) feribit: *Intelligi potest, Plenipotentiarii nomen non esse honoris, sed potestatis, neque, ut quidam faciunt, Plenipotentiarum Legato characterem habenti opponi posse.* Nam vel Legatus primi gradus, vel etiam secundi Ordinis Minister mandatum tractandi liberrimum habere potest: licet, quemadmo-

v) in *Discursu de Iure Legacionis w) de Iur. Supremat. cap. VI. Statuum Imperii. Eleutheropoli anno pag. 22. cI3I0CCI. § 65. pag. 109 seq.*

dum etiam *Jo. Jac. MOSERVS* x) animaduertit, secundum mores et vsum nostrorum praeſertim temporum negari haud poſſit, dari Plenipotentiarios, qui neque ſint Ambaſciatores ideoque nec honoribus eorum frauentur, neque Inviati ſeu Envoyés, ſed qui, ſi eminentioris ſint dignitatis, et ſtatus, nulli Inuiato Principis, alias ipforum Inuiatos anteunti loco cedunt, atque varia quoque ratione maiorum praerogatiuarum, quam illi, participes redduntur, id quod etiam Moferus exemplis quibusdam illuſtrauit,

---

### III.

#### *Tranſitus et Admissio Legati quid?*

Haud animus nobis eſt in praefenti commemorare varia illa iura atque praerogatiua, quibus Legati gaudent. Foret enim hoc ab instituto noſtro alienum et dixerunt de iis ſatis, cum qui in vniuersum de Legatis et iure legationum ſcriperunt, tum qui ſingula eorum privilegia atque immunitates expoſuerunt peculiariis libellis, quorum amplum ſatis catalogum *Joh. BARBEYRA-CIVS* y), *Christ. Fried. Georg. MEISTERVS* z) et Illuſtriff. L. B. ab OMPTEDA a) texuerunt. Haec duo tantum obſeruare iuuat,

x) in laudata Praefatione §. 28. z) in Biblioth. Iur. Nat. et Gent.  
not. 1) pag. 28. Part. II. pag. 2. seq.

y) in Praefatione ad versionem Gallicam BYNCKERTHOECKII Tract. pag. 537 — 582.  
de foro Legatorum praemissa. a) in der Litteratur des gesammten  
fowohl natürlichen als positiven Vol-  
kerrechts, im 2. Th. §. 226. seq.

B



primum, Legatos non prius negotia sibi demandata expedire et praerogatiis suis nec non publica securitate frui posse, quam admissi sunt ab ea gente, ad quam missi, deinde interdum adeo opus esse, ut etiam per alterius Principis aut populi territorium atque prouincias transeant, antequam ad locum, vbi Legatione fungi debent, peruenire queant. Transeunt nempe Legati, quando per gentis aut principis cuiusdam regionem siue terra siue mari proficiscuntur, cum vocabula *transire* et *transitus*, quemadmodum vel ex Cornelio Nepote b) constat, de nauali itinere et de pedestri usurpentur. Admittit autem gens Legatum, si ei non tantum in eius fines ingressum, qui semper admissionem praecedere debet, permittit, sed etiam, si ei simul dat facultatem expōnendi ipsi negotium publicum sibi demandatum. Ipsa admissionis potissimum absoluitur momentis, primum ut gens eum agnoscat esse Legatum, deinde ut eum contempletur tanquam talem, qui ad ipsam sit missus, porro ut illi promittat inuiolabilitatem consuetam, denique ut patiatur Legatum ipsi explicare negotium commissum. Et hodie quidem admissionis perficitur traditis et acceptis litteris credentialibus, quarum indolem atque naturam Jo. Georg. ESTOR c) et Jo. Frid. JVGLERVS d) accurate descriperunt. Traduntur enim haec litterae, quas merito Legationis

b) in vir. Themist. cap. 9. num. 1. quas credentiales vulgo vocant, a Le-

in Alcibiad. cap. 9. in Hamilcar. gatis. Jen. 1740.

cap. 4. num. 1. et in Hannibale

cap. 3. num. 4.

d) Diff. de litteris credentialibus

c) Progr. de iure possendi litteras, Legatorum. Lipf. 1741.

tesseram *Freder.* de MARELAER e) appellat, non solum, ut cre-  
datur ei, qui mittitur; sed et praeterea, ut obligetur qui mittit,  
imo qui admittit. Nam profecto qui mittit, fidem suam obstrin-  
git, ratum apud se fore, quicquid Legatus egerit, et qui admit-  
tit, data fide pariter cogitur ius Legionum semper saluum  
praestare, in colloquio atque tractatione negotiorum eum  
admittere, qui cum fide venit, quemadmodum idem de MARE-  
LAER f) egregie obseruauit. Neque enim haec litterae solius  
ceremoniae causa dantur Legatis. Utissimae potius sunt, et  
apud quascunque gentes, in rebus seriis atque publicis in primis  
necessariae g), propterea quod gens siue Princeps, quibus res  
cum Legato est, per litteras credentiales securi redduntur, nec  
metuere dolum debent ab improbis astutisque hominibus, qui  
falso profiteri se possint Legatos. Atque hinc etiam est, quod  
in rebus alicuius momenti vix admittantur Legati, si vel maxime  
illustres sint, nisi suscep tam legationem eiusmodi scripto publico  
docere possint et comprobare. Ut taceam ex hisce litteris rite et  
ex consuetudine aulae exhibitis etiam statim elucere, quem Legato  
characterem dominus eius tribui, et quibus adeo solemibus  
illum salutari ac recipi velit. Quae cuncta modo laudatus jvg-  
LERVS h) latius persecutus est.

- e) in Legato Lib. II. Diff. VI. g) vid. CORN. VAN BYNEKENS-  
pag. 281. edit. Amstelodam. de HOECK *Quæst. iur. publ.* Lib. II.  
anno 1644. cap. 7. pag. 229.  
f) c. l. pag. 282. h) l. c. §. IV.



## IV.

*De fundamento ac iure, quo Tranitus et Admissio Legati nitantur, variae virorum doctorum sententiae.*

Enimuero illud in praesenti maxime disquirendum venit, Tranitus atque Admissio Legati, quonam potissimum fundamento ac iure nitantur. Nam de hac quidem re viri docti et naturalis ac gentium iuris interpretes tam parum inter se conueniunt, vt potius in diuersas admodum sententias abire videantur. Sunt enim, qui statuant, vnamquamque liberam gentem gaudere iure perfecto postulandi ab altera gente, vt illius Legatos per ipsius territorium transire patiatur, gens vero ea, ad quam Legatus missus est, eum recipiat et admittat, atque sic gentes perfecte ad utrumque hoc obstrictas esse. Hoc in primis *Cesarin. FÜRSTEN-  
NERIVS i), Joach. Georg. DARIES k), Abr. Dan. Clauel a BRENN-  
LES l), Christ. L. B. de WOLFF m), Dan. NETTELBLADT n)*  
*Ernest. Christ. WESTPHAL o) Joseph. Franc. Lothar. SCHRODT p)*

i) *de Iure supremar. ac Legation.* 1763. 8. Part. IV. cap. 10. §. 1238.  
*Princip. German.* cap. VI. pag. 768.

k) *Inst. iurisprud. uniuers.* §. 976. n) *System. elementz. vniu. iurisprud.  
natur.* Part. II. Lib. II. Sect. II.

l) *Diff. de exemptione Legatorum a  
foro criminali eius, ad quem missi sunt.* tit. 2. p. 616.  
*Marp. 1741.* §. II. VI. et seq. o) *Instit. Iur. Natur.* cap. CXII.  
§. 1298.

m) *Inst. Iur. Nat. et Gent.* Halae Sect. II. cap. 4. §. 8 et 9. p) *System. Iur. Gentium Part. III.*

et *Christ. Gotthelf. AHNERT* q) defendere amissi sunt. Alii contra existimant, liberas gentes nullatenus perfecte teneri ad transitum Legatis alterius gentis per territorium suum permitendum, neque villam gentem, cui Legatus destinatus est, cogi posse, ut eum in fines suos ingredi sinat et admittat, nisi utrumque hoc inter illas gentes sit conuentione definitum; transitum enim et admissionem Legatorum solo pacto niti, e quo deinceps ius perfectum et obligatio perfecta orientur, quae ante eiusmodi pactiacionem imperfecta tantum potuerunt, et sicuti Paulus r) loquitur, voluntatis et officii magis, quam necessitatis fuerunt. Atque hanc quidem sententiam potissimum tuentes Auctor Anonymus trigae discursuum ad rem publicam spectantium, et qui argumenta huius repetit *Jus. PRESSEVTA* s), siue potius HENNINGES, Abr. a WICQVEFORT t), *Christian. THOMASIVS* u), *Nitol. Hieron. GUNDLINGIVS* v), *Jac. Gabr. WOLFIUS* w), *Jo. Laurent. FLEISCHERVS* x), *Jo. Ad. ab ICKSTADT* y), *Gottfr.*

- q) im *Lehrbegriffe der Wissenschaften, Erfordernisse und Rechte der Gedenkstätten* I. Th. II. Abtheil pag. 170. r) L. 17. §. 3. D. commod. vel contra.
- s) in *Discursu de iure Legation. Stat.* publ. tum prius. Part. II. Sect. II. Imp. §. 33. 36. et §. 75. usque ab §. 77.
- t) dans *L'Ambassadeur et ses fonctions*. Liv. I. Sect. XXVIII. p. 433. edit. Coloniensi.
- u) in *Iurisprudent. divin.* Lib. III. cap. 9. §. 32.
- v) *Iur. Nat. et Gent.* cap. XXXVI.
- w) *Inst. Iurisprud. natur. tum* cap. XIII. §. 8. pag. 432.
- x) *Inst. Iur. Natur. et Gent.* Lib. III. cap. 15. §. 8. pag. 594 seq.
- y) in *Iur. Gent.* Lib. IV. cap. III. §. 9. coroll. 2.



ACHENWALLIVS z), Illustr. L. B. Christ. Goth. a GUTSCHEIMDT a), Emer. de VATTEL b) Perilliustr. Jo. Christ. Guil. a STECK c), JAEGER d), Jos. Ludov. Ernest. FÜTMANNVS e), Chr. Henr. BREVNINGIVS f), Ludw. Conr. SCHROEDERVIS g), Illustr. Lud. Jul. Frid. HOEPFNERVS h), Illustr. Georg. Frid. a MARTENS i), Generos. Christ. Henr. a ROEMER k), Joh. Christ. Gottl. SCHAV- MANNVS l), Illustr. Guil. Gottl. TAFINGERVS m) et Conf. Carol.

z) in Diff. de transitu et admissione Legari ex pacto repertendis. Gottingae

1748. §. XIV. seq. pag. 7. seq. et

in Iur. Nat. et Gent. Lib. IV. Sect. III. tit. 3. §. 251. pag. 227.

a) in Diff. de praerog. Ordin. inter Legatos cap. I. §. 15. seq.

b) Elémens du droit des gens T. III. Liv. IV. ch. VII. §. 84. et 89.

c) von den Consula handelnder Nationen; im Versuche über einige erhebliche Gegenstände, welche auf den Dienst des Staats Einflusß haben. Num. XI. pag. 130 seq.

d) Ob ein Souverain berechtiget sey fremde Gefändren arretieren zu lassen, §. VI. in den gelehrten Beyträgen

zu den Braunschweigischen Anzeigen a. d. J. 1764. XX. et XXI. St. S. 154 u. f. et in Fried. Aug.

SCHOTTS Jurist. Wochenblätter im ersten Jahrgange N. X. et XI. S. 157 f.

e) Adversariorum Iuris Vniuersit., Lib. III. pag. 220 seq.

f) Delin. philos. iuss. seu Iur. Natur. tur. et Gent. Part. spec. Sect. II. cap. 5. §. 5.

g) Element. Iur. Natur. Social. et Genium Part. II. Lib. III. Sect. III. Tit. III. §. 1104. pag. 469.

b) im Naturrechte des einzelnen Menschen u. s. w. im Völkerrechte §. 226.

i) c. l. Lib. VII. cap. I. §. 147. pag. 138.

k) im Versuche einer' Einleitung in die Grundsätze über die Gesellschaften, III. Abschn. §. 14. et 15. et VI. Abschn. §. 3.

l) im Wissenschaftlichen Naturrecht, Part. III. cap. 4. Tit. 3. §. 638. pag. 355.

m) in den Lehrsätzen des Naturrechts Lib. III. §. 656. pag. 233.

*Gottl. ROESSIG n), ut ne aliorum quidem in praesenti meminem.  
rim. Proclus autem hac in re fluctuare sibi parum constare  
Hugo GROTIUS o), videtur. Nam etsi ita scribit: ea vero lex  
de vi legatis non inferenda, intelligenda est eum obligare, ad quem  
missa est legatio, atque ita demum, si admisit, quasi scilicet ab eo tem-  
pore tacita pactio intercesserit: tamen cum alio loco p) non enim,  
inquit, omnes admitti practicunt gentium ius: sed vetat sine causa re-  
iici, haud immerito aliquis inde colligeret possit, illum, quam in  
priori loco e conventione repetuit Legati admissionem, eam in  
posteriori loco magis in necessitate et perfecta gentibus obliga-  
tione imposita quaesuisse.*

## V.

*Recensentur argumenta eorum, qui Transtum et  
Admissionem Legatorum necessitatis esse etiam sine  
pacto existimant, et confutantur.*

In hoc sententiarum diuortio antequam, quid nobis videa-  
tur, definiamus, operae pretium esse duximus paucis afferre ra-  
tiones, quibus opinionem suam superstruxerunt viri docti, qui

n) in den Grundsätzen des Natur- und Völkerrechts, im IV. Abschn. im 2. cap. §. 8. p. 238. o) de I. B. et P. Lib. II. cap. XVIII. §. V. I. p) l. c. Lib. II. cap. XVIII. §. III. I.

transitum et admissionem Legatorum ex necessitate et perfecta gentium erga se inuicem obligatione arcessunt, ita ut simul eorum censuram breuiter agamus. Ac primum quidem Cael. Fürstenerius: *quisquis, inquit, tractandi causa missus est, immunitate fruiatur, quae iure gentium recepta et naturali ratione introducta est, ut ne quacunque de causa violetur, et paulo post: Nam ratio naturalis iubet, ut libera sit communicandi facultas, alioquin sublata has fiducia remedia non poterunt afferri gliscentibus malis animisque exacerbatis.* Omnia ergo, qui negotiandi causa mittuntur, securitas bona fide et tacerito pacto nescitur; etiamque nullus datus sit saluus conductus. Deinde Ioach. Georg. Daries nec non Abr. Dav. Clav. a Brenles, et qui hos sequuntur, hac potissimum ratione vtuntur, ut dicant, saepissime necesse esse, ut gentes de negotiis publicis inter se agant, praesertim cum sibi a bellis caueri cupiant, et foedera pangant, aut in casibus in bello emergentibus pactiones inire velint, aut pars vna alteri voluntatem suam significare debeat. Ut autem gentes vel earum summi Principes ipsi conueniant et colloquuntur, rem moraliter impossibilem esse. Itaque Legatos necessarios esse, atque hinc potestatem Legatos mittendi ius Majestatis haberi, quod violaret, qui eos admittere nollet. Inde vero argumentantur, gentes, ut Legatos admittant, perfecte obligari, et sin fecus facerent, admissionem hanc recusantes, mittenti iniuriam fieri. Quae quidem argumenta, quamvis speciosa quodammodo videantur, tantum tamen abest, ut iis assensum praebere queamus, ut potius longe alterationes subducendas esse existimemus. Hoc autem ut accurate et ex genuinis Iuris Gentium principiis fiat, merito ante omnia

tenendum est, quemadmodum aeterna naturae lege singuli homines iubentur perfecte, id est, ut cogi possint, neminem laedere; imperfecte, aliorum amplificare felicitatem, ita etiam gentem obligari genti perfecte, ne laedat; imperfecte, ut eius felicitatem amplificet. Neque enim Ius Gentium aliud quid est, quam Ius Naturale ad negotia integrarum gentium accommodatum. Nam cum gens sit societas hominum ab aliorum imperio libera, suisque imperans ciuibus, et illa in gentes coitione hominum nemo aeternae legis vinculo solui, neminique in homines ciuili eius potestati haud subiectos, imperium tribui possit, manifestum est, gentem debere genti, quae homini debet homo, ab imperio ciuili liber, neque alio nisi naturali iure negotia gentium regi posse. Quemadmodum autem iurium, quibus homines gaudent, alia absoluta sunt, alia hypothetica, et haec non minus, quam illa naturalis legis vinculo munita sunt, ita gentium quoque iura, absoluta pariter atque hypothetica, aequali aeternae legis praesidio fulciuntur. Absoluta vnicuique genti naturaliter nullo hominum facto interveniente competit; hypothetica facto quodam humano gentibus acquiruntur occupatione scilicet vel pacis. Et cum porro pacta hominum consensu pacifcentium fiant et hi ad ea seruanda perfecte, ut cogi queant, obstringantur, consensus autem, quo ineuntur, in expressum et tacitum dispisci soleat, quorum ille verbis declaratur, hic vero ex factis colligitur, modo haec ita comparata sint, ut consensus tuto inde eliciri possit, et quae a faciente fieri haud potuissent, nisi in id, de quo quaeritur, consentire voluisset, siquidem alia ratione eiusmodi consensus iure Naturali cogitari non posset;

C



nihil profecto dubitationis habet, quin eadem ipsa, sicuti inter homines iusta censentur, ita quoque inter gentes iniusta videri haud queant. Iam vero, si principia haec ad quaestionem nostram transferamus, facile perspicitur, quid sentiendum sit de opinione eorum, qui gentes ad Legatos admittendos perfecte obstrictas esse statuunt. Nam primum quidem, quod ad argumentum Fürstenerii attinet, haud incepit aliquis cum *Jo. Nt. HERTIO q)* quaerere posset, si ipsem mittens in hostico aut ab hostibus deprehensus attineri possit, cur missum aut mandatarium diuerso iure censeamus? Neque incongrue idem Hertius obseruauit, haud intelligi tacitum pactum, nisi adesset signa voluntatis, quea in bello, suspicionibus et machinationibus pleno vix ostendi possent. Enim vero de eiusmodi tacito pacto Fürstenerius ne videtur quidem locutus esse. Intellexit potius sub tacito pacto presumptum pactum, idque potissimum in bona fide et facto plurium gentium generali quaesuit. Sed cum pactum illud consensu presumpto nitatur, hic autem consensus nullo plane neque signo neque facto existente ex communi conditione et natura hominis adesse debere intelligatur, eiusmodi consensus presumti nullam prorsus in iustitiae naturalis foro vim atque auctoritatem esse, dudum iam *Gottl. Sam. TREVERVS r)* recte docuit. Quoniam vero Ius Gentium nihil aliud est, quam Ius Naturae ad facta gentium accommodatum, merito inde colligitur, nec Iure

*q) Diff. de litteris commeatu pro r) ad S.m. PVFFENDORFIVM de  
pace §. IV. Comment. et Opuscul. officio hominis et ciuis Lib. I. cap.  
Vol. I. Tom. I. pag. 319 seq.*

*IX. §. 9. not. I) pag. 220,*

Gentium talem consensum attendi. Quod si autem Ius Gentium huic consensui non patrocinatur, facile est ad existimandum, nec eiusmodi pactum praesumtum inter gentes liberas locum habere, multoque minus inferri posse, eas vi huius pacii ad transitum Legatis alterius cuiusdam gentis permittendum aut eos admittendos perfecte obstrictas esse. Deinde quamquam Dariesio et a Brenles nec non reliquis, qui ab eorum partibus stant, largimur, Legatos necessarios esse eatenus, quatenus gentes iis tanquam medio vtuntur ad finem propositum obtinendum, quis tamen inde extorquere poterit necessitatem genti absolute impositam Legatos ad se missos admittendi atque recipiendi? Quod si enim ideo, quod Legati necessarii sunt ad negotia publica tractanda, obligatio perfecta daretur ad eos admittendos vel transitum eis permittendum, sequeretur sane, Legatum ab hoste missum prae caeteris utrumque hoc perfecte postulare posse. Neque enim magis necesse quicquam est, quam negotium pacis. Et tamen in hostem omnia licere, rem adeo confectam censem, qui stricti iuris principia amplectuntur s), ut etiam Alex. Arnold. PAGENSTECHERVS t), licet caeteroquin Legatos inviolabiles esse in territorio hostis, ad quem missi sunt, concedat; tamen ab hoste, cuius territorium tantum permigrent, salvo iure naturae laedi posse affirmare haud dubitauerit. Et si porro vel maxime concedamus, facultatem Legatos mittendi ius maiestatis esse, certum

C 2

s) Gottfr. ACHENWALLI. *Iur. Natur. Lib. I. Sect. 3.* Tit. I. §. 261. §. 8.  
et 265. pag. 237 et 240.

t) *Dissert. de iure irinerantium,*

tamen est, obligationem eius non in exteris querendam, quibus cum maiestate nihil commercii est, sed in ciuibus, qui obsequium, debent. Nam quae Princeps cum alienis populis per Legatos vult curari, mutuum respectum nexumque habent, vt non satis sit, Principem Legationem decernere, sed et alterum in id consentire oporteat. Nempe quando Principem dicimus ius habere legatos mittendi, hoc tantum respectu ciuitatis intelligendum est, in qua praeter istum, penes quem imperium ciuale est, nemo aliis hanc potestatem habet, vt adeo haec a ciuium arbitrio non pendeat; sed quis quoquo cogere poterit liberam gentem, vt illud ius maiestatis sibi obrudi et in se exerceri ab alia gente patiatur? Quemadmodum enim nulla gens ius habet alteri genti imponendi necessitatem, vt haec teneatur ad illam Legatos mittere, cum illi lubet, sed potius huius arbitrii et potestatis hoc sit consilium: ita profecto non intelligitur, qua ratione gens gentem iubere possit, vt admittat Legatos eos, quos illi visum est ad hanc mittere, siue placeat huic Legatio, siue rebus eius incommoda sit futura, vel alias ob causas ingrata. Nam si ita argumentari liceret, eodem modo inferri posset, quoniam gens gaudet iure maiestatis foedera fisciendi, alteram gentem quoque ad foedus oblatum fisciendum perfecte obligari. Verum tamen id nullatenus consequi fatebuntur omnes, qui vel leuiter iuris gentium principiis imbuti sunt. Nec morabitur quemquam subtile illud discrimen, quod a Brenles adducit, ab Hugo. GROTIUS iam excogitatum et a L. B. de WOLF u) fusius expositum inter ius

u) in *System. Iur. Natur.* Tom. I. §. 901.

*officia humanitatis petendi, et ius eadem obtinendi, ad quorum illud homini ius perfectum competere, ad hoc vero neutquam adfir- mavit.* Recte enim *Gottfr. ACHENWALLIVS* r) obseruauit, Legatum, qui admittatur, non semper petere, interdum adeo fatis acerbe postulare: et si concedatur, admissionem Legati conti- nere petitionem, vt negotium publicum tractet altera gens cum sua: tamen hanc petitionem iam supponere alias, quae praeces- ferunt, et ipsam petitionem vt admittatur. Sed hanc recusare possum esse in cuiusque gentis arbitrio. Ut taceam, hoc modo etiam Legato in aula Principis alterius, licet quam maxime reni- tentis commoranti, tamen remanere ibi fas fore, quoisque genti sua placeat. Nam si petere liceret, eodem iure etiam Legatus petitionem semper iterare posset, vt ipsi in loco legationis diutius versari permittetur. Ita autem Princeps, qui de reuocando Legato iam apud mittentem egit, quoniam interest ipsius, ho- mine sibi inuisio atque molesto liberari, nunquam voti sui com- pus fieret. Reliqua argumenta, quibus haec sententia firmari videtur posse, *Jus. PRESBEVTA* commemorauit, sed simul etiam confutauit.

## VI.

*Ostenditur, Transitum et Admissionem Legati solo pacto niti.*

Haud dubie igitur potior erit opinio eorum, qui transitum Legatorum per territorium alterius gentis, illorumque admission-

r) Diff. laud. §. XXIV. not. c.



nem sola humanitate niti, neutquam vero necessitatibus esse existimant, nisi utrumque hoc inter gentes conuentione sit definitum. Enim vero iuuat id in praesenti ex instituto et paulo luculentius demonstrare. Ac primum quidem, ut statim in antecellum de transitu Legatorum per territorium populi aut Principis, ad quem ipsum caeteroquin haud mittuntur, dicam, ante omnia tenendum est, territorium gentis, sive totam illam regionem, quam populus alicuius ciuitatis inhabitat, et in qua tanquam sibi propria fixam sedem habet, una cum omnibus, quae in ea sunt, ad gentem pertinere, et in ipsis, qua gentis dominio esse. *w)* Iam vero cum sola gens, cuius territorium est, omnia iura maiestatis infra fines illius ita exerceat, ut ab ullo alio imperio humano haud pendeat, in horum autem iurum numero potestas quoque censeatur quemlibet peregrinum a finibus territorii sui arcendi; necessario clarum esse oportet, neminem absque consensu gentis territorium eius intrare vel transire posse, atque hinc idem nec ulli genti, nec ulli Legato ius fasque esse. Itaque ut Legatus facultatem nanciscatur libere intrandi et transeundi territorium alterius gentis, opus est consensu mutuo inter gentem mitten-tem et eam, cui Legatio fieri debet, quo haec Legato liberum ingressum vel transitum promittit, illa autem hanc promissionem acceptat. Utrumque enim non nisi pacto fieri iuris perfecti posse opinamur, sive contemplaris gentem, ad quam quis allegatur, sive quamcunque aliam. Nam qui hoc insiciari, aut saltem in dubitationem vocare vellet, ei omnino statuendum foret, ma-

*w)* *Lud. Conr. SCHROEDER c. L. §. 787. pag. 320. et Part. II. Lib. III. Part. II. Lib. II. Sect. I. Tit. I. Sect. III. Tit. I. §. 1073. pag. 453.*

iora Legatorum iura esse, quam ipsius gentis mittentis. Id quod tamen nemini in mentem serio venire posse arbitramur. Si igitur Legatis per alterius populi aut Principis prouincias migraturis ius gentium prodefesse debet, oportet eos eius rei peculiarem veniam nactos esse, quam datam illis esse apparet, si impetrato commeatu transeunt. Quod si enim litteras tuti commeatus seu salui conductus *passports* acceperunt a gentibus, quarum per territoria proficiscuntur, illis uti poterunt Legati tanquam publico instrumento, quod testimonium de voluntate admittentium perhibet, quoniam diplomata haec securitatis praestandae ac tuti itineris, quemadmodum *Jo. Nit. HERTIO x)* appellantur, simul continent pactum gentis expressum de concedendo libero transitu, pacta autem inter gentes seruanda sunt. Atque sic saltem agniti et recepti videbuntur, aliquando ut transire tantum illis libere ac secure liceat, nonnunquam etiam, ut ratio eorum dignitatis et characteris habeatur, quo posteriori quidem casu omnibus adeo priuilegiis gaudebunt, quibus Legatus apud eum etiam frui debet, ad quem missus est. Nam si nihil de transitu sit pactum, sive venerint Legati ab amicis, sive ab iis, qui ei, cuius per ditionem iter suscipiunt, nulla inimicitia sunt cogniti, sive ab iis, quibus cum bellum vel saltem dubia pax est, Legatorum praerogatiwas sibi haud poterunt vindicare, et si qua forte illis iniuria facta fuerit, neutro istorum casuum, iura legationis violata censenda, quia non est Legatus nisi ei, qui ipsum admisit, id quod latius *Just. PRESBREVTA y)* persecutus est, qui argumentum hoc ex instituto

*x)* *Diss. de litter. commear. pro pace §. II.*    *y)* *c. I. §. 47. seq.*



excusit. Neque profecto desunt exempla, quae nos doceant, Legatis, qui insalutato Principe et absque commeatu profectionem per eius dominia instituere voluerunt, sola amicitia confisi, non tantummodo commeatum saepe negatum, sed et temere ingressos etiam retentos, et sub honorifica custodia habitos esse. In universum enim expedit securitatem Legatorum impetrasse commeatum, quin et litteras fiduciarias sive commendatitias ad illum ipsum Principem attulisse de Legatione et charaktere testantes, modo dominus suae et illorum dignitatis rationem haberi voluerit, cum sine eiusmodi litteris transitum quidem liberum tandem consequi, postulare autem prorsus non possint, ut pro Legatis ab eo agnoscantur, cui fidem de statu suo facere nequeunt. Nam forte quidem priuatorum illis tunc magis vtendum erit, quam personae publicam dignitatem et auctoritatem sustinentis, ut adeo per Carolum I. Angliae Regem Legato Lusitanico anno superioris seculi quadragesimo primo per Angliam ad foederatos Belgii Ordines iter instituenti nullam iniuriam factam esse. *Just. pres. BEVTA* z) existimet, quod Rex ipsum audire noluerit alia conditione, quam priuati, haud data facultate se tegendi, quoniam sine litteris in Angliam venerat.

## VII.

*Eiusdem Argumenti continuatio.*

Neque alio modo ipsa admissio Legati, quam pactione perfici potest. Haud enim sufficit, gentem Legatum mittere atque

*z) c. l. §. 77.*

velle, ut recipiatur et agnoscatur. Opus etiam est, ut gens, ad quam Legatus missus est, si necessario ad eum admittendum obstricta dici debeat, testatum fecerit, gratam sibi esse Legationem, seque mittentis consilium probare. Quemadmodum enim, ut verbis *Lud. CORN. SCHROEDERI* a) vtar, vi libertatis naturalis ab arbitrio cuiusque pendet, an cum altero colloqui, et sui copiam facere, aut deliberationes cum eo instituere, negotia tractare et pacisci velit; praeterea vero gens, tanquam territorii sui domina libere exteris introitum, vel commorationem in eo denegare potest; ita manifesto sequitur, ut ab arbitrio cuiusque gentis pendeat, an Legatum ad se missum admittere, h. e. ipsi aditum concedere, eumque audire velit. Vno verbo: quemadmodum unus petendi ius habet, ut Legatio admittatur, per quam mittens cum eo conferre vult; ad quem Legatimittuntur: ita vicissim alter habet ius colloquii detinandi, si Legatio rebus suis incommoda pro tempore videatur. Vnde recte profecto existimauit Auctor *Trigae Discursuum ad rem publicam spectantium* libero populo haud obtrudi posse ab alio Legationem, sed rem mutua veluti conuentione perfici adeo, ut, quamvis constitutio Legati pendeat a mittentis voluntate, omnino tamen et declaratio eius, ad quem mittitur, ad totius negotii perfectionem necessaria sit, sine qua Legatus tantum sit destinatio talis, cuius dignitas et character in suspenso sunt et quiescent. Et *Just. PRESBEVTA*, b) illa, inquit, *oppido impar effet*

a) l. c. Part. II. Lib. III. Sect. III. b) l. c. §. 34.

Tit. III. §. 1104. pag. 469.

D



*conditio inter duos status aequales, si Vni libertas esset statuendi apud se de mittendis Legatis et secundo statuendi libertas de recipiendis non esset. Itaque totum negotium contractui est proprius, quō demum Legatis de securitate eorum plene prospicitur, iuris gentium nomine nescio an sine hor satis tutis. Omnia autem luculentissime hoc declarauit Illustriss. L. B. a GvTSCHMID<sup>c)</sup>, cuius verba, quoniam apprime ad rem faciunt, integra hic apponenda duximus.*

*Ea vero sic habent: Sicuti allegatio ab arbitrio mittentis pendet, ita admissionis arbitrium penes eum est, cui Legatus mittitur. Permitet scilicet admisso Legati, nisi pacis stabilita fuerit ad humanitatis, et benevolentiae officia, quae iure imperfecto gentes gentibus debent, mutuae felicitatis amplificandae causa. Quamvis ergo minus recte nec felicitati humani generis conuenienter agat gens, quae misum sibi Legatum admittere sine iusta causa recusat, est tamen officium id coactionis impatiens, ipsumque de recusationis causa arbitrium, iure libertatis naturalis cuique genti proprio continetur. Nec obverti fortasse poterit, negotium publicum, de quo mutua cum Legato debeat deliberatio institui, si id in se spectes, in vniuersum efficere, ut admisso Legati sit necessitatis. Cum enim gens, quae Legatum mittit, non gaudeat iure perfecto negotium publicum tractandi cum altera gente, nisi peculiares quaedam suppetant causae, quae id necessario exposcere videantur, nec habebit illa tale ius exigendi, ut Legatus ipsis admittatur ab altera gente, neque haec ad recipiendum eum cogi poterit. Quotiescumque igitur qui Legatos mittit, consilium suum eorumque aduentum prius non significat, quam per ipsos Legatos in loco iam praesen-*

*c) Diff. laud. Cap. I. §. 15.*

tes, quod exhibitis litteris fiduciariis fieri solet, quamvis Legatio  
sub spe decreta sit, eam non ingratam futuram esse, interim ta-  
men si alter, ad quem accesserunt, habeat fortasse causas, cur  
nec videre eos, neque audire velit, erit haud dubie, quod sibi  
soli imputet mittens festinati consilii frustrationem. Atque tunc  
cuiusmodi non admissi neque iuribus fruentur ac priuilegiis, quae  
caeteroquin gentium ius Legatis largitur, neque agnoscendi pro tali-  
bus ab eo possunt, cui destinati erant, nisi agnoscendo, quod ad-  
missione sit, sibi ipsi necessitatem imponere velit, eosdem etiam  
audiendi. Nam cum pactum de transitu et admissione Legati et  
tacitum et expressum esse possit, Legatus autem, quemadmodum  
et Gottfr. ACHENWALLIVS d) obseruat, tacite statim admissus in-  
telligatur, simul ac ei facultas Principem adeundi sit data, hic  
repudiando Legatos, posteaquam agnouit, haud dubie tum et  
contumeliosus in eos fieret, et simul mittenti, acceptae aduersus  
ius gentium iniuriae, causam agendi occasionem preeberet. Ve-  
ru[m] tamen quoniam pactum tacitum ex factis colligitur, quae  
saeppe numero ambigui sunt sensus, optime sibi consulterit Lega-  
tus, si ad gentem aut Principem, cui missus est, non prius acce-  
dat, quam veniam eius rei sit adeptus, quandoquidem usus et ex-  
perientia docent, Legatum apud illos, ad quos mittitur, non sa-  
tis tutum suo charactere esse, antequam illi conditionem accep-  
rint, et ita quasi contraxerint. Sane enim antiquitas nobis sistit  
exempla Legatorum male interdum habitorum, qui folius iuris  
gentium auxilio freti fidem haud exegerunt super securitate sibi  
praestanda. Atque haec etiam haud dubie causa fuit, cur Le-

d) Iudic. Diff. §. XXV.

gati saepenumero, cùm ad finēs peruenissent imperii eius, quem conuenire debabant, subfisterent, de fide publica sibi caueri postulant. Nam et si Legatus quidem iure petendi gaudet, vt admittatur, ipsa tamen facultas eum admittendi penes recipientem est. Ex eo autem clarissime simul intelligitur, plus praefidii esse in conuenta securitate, quam in iuris gentium defensione, vt potest quod aliquam huius negotii partem etiam penes recipientem, et in consensu eius relinqueret potissimum voluit.

---

VIII.

*Disquiritur, vtrum ante pactum Legato Transitus et Admissio negari posset, et an haec denegatio iustiam belli caussam praebeat?*

Iam vero cum Ius Gentium Legatis alia ratione haud propiciat, quam interueniente pacto et consensu eorum, qui in nexus esse debent, haud profecto cvidam mirum videbitur, si contendamus, vnamquamque gentem liberam, nisi pactum consentum obsistat, iure perfecto gaudere Legato alterius gentis transitum atque admissionem denegandi non modo belli, sed etiam pacis tempore. Tantum certe abest, vt id principiis hucusque a nobis expositis repugnet, vt potius cum iis quam maxime conuenire videatur. Et habemus quoque ea in re consentientes omnes, qui caussam hanc secundum genuina Iuris Gentium praecepta definitiendam statuunt. Ut enim omissis caeteris aliis, vni

tantum *Abr. WIQVE FORTIO* dd) testimonium denanciem, is ex-  
presse fatetur, Principem haud quaquam cogi. Legatum hostis  
admittere aut eum tanquam talem habere eo in loco, vbi secun-  
dum belli mores armis suis libere vti possit, neque per denega-  
tam hanc admissionem ius gentium violari. Et alio loco obser-  
vat, Principem nulla tenus teneri ad exhibendas litteras tuti com-  
meatus Legato Principis alterius, quocum bello implicitus est; aut  
eius consilia ipfi quodammodo suspecta videntur, cum illae et-  
iam amicis certo tempore denegari possint. Id quod utrumque  
etiam exempla, quae magno numero collegt, egregie illustrant.  
Atque hinc etiam Carolus Gustaus Rex Suecorum, quem *Samuel*  
*PVFFENDORFIVS* e) narrat Legatos Friderici Wilhelmi Branden-  
burgici Marchionis et Electoris, etiam postquam eos admisisset,  
audire propterea noluisse, quod a dubio amico venissent, ante-  
quam sibi de eorum mandatis constaret, aduersus graues querelas  
quasi ob violatum ius gentium illo tempore auditas maxima con-  
stantia, neque argumentis inferioribus hoc factum suum defendit;  
Legatosque a se violatos esse negavit. Nec profecto gens, quae  
Legatos territorium suum transire haud passa est, aut eos ad-  
mittere recusat, opus habebit excusatione apud gentem mitten-  
tem. Ipso iure enim hanc recusationem tutam esse, neque per  
caussam demum excusandi legitimam fieri iustam, iam dudum  
alii docuerunt. Vnde nec nos morabitur magnopere *Hugo*  
*GROTIUS*, f) dum non enim, inquit, omnes Legatos admissi piae-

dd) lib. comm. Sect. XVII. p. 169. derici Wilhelmi Elector. Brandenbur-

et p. 195. gici, Lib. VII. §. 57. seq.

e) *Commentar. de rebus gestis Fri-* f) c. l. Lib. II. cap. 18. III. I.

*tipit gentium ius, sed vetat sine causa reiici, quem deinceps magno agmine secuti sunt alii, Gottfr. ACHENWALLIO* g) iam laudati, Nam qui prohibetur aliquid sine causa facere, ei omnino etiam cognitionem de causa relictam esse oportet. Atque hoc cuncta quoque illa, quae Grotius ex Thucydide, Polybio, Liuio, Sallustio, Diogene Laertio, Procopio et Zonara allegavit exempla, haud obscure probant, nec res ipsa alium sensum pati videtur, aut certum exitum nancisci posse, nisi id assumamus. Nam cum is, qui mittit Legatos, iam satis de causis perspectum habeat: merito superesse debet, ut etiam alter de suis causis deliberet, num e re ipsius sit, legationem admitti. Penes hunc enim omnino est de causis non admissi legati statuere. Nec refert adeo, vtrum sine causa reiecta sit Legatio, vel an habuerit non admissens, quo se excusare posset. Nam quemadmodum causae haec semper graues existimanda sunt et reiicienti Legatos sine dubio iustae, cum imperantes nunquam incipere aliquid vel decernere sine causa credi oporteat; ita quamvis easmittenti non approbaerit, quoniام id facere haud tenetur, nec veras protulerit, aut quod ratio commodorum ipsius hoc non fuit, aut quod eo ipso mittentis honori parcere voluit, ne fortasse hic offendam capere posset, imo potius alias supposuerit; nihil secius tamen mittenti standum erit sententia ac iudicio eius, quia de cognoscendis illis non index factus, sed omnis haec potestas arbitrio ac voluntati eius, cui destinata fuit Legatio, commissa est. Et quas praeterea causas, cur Legati reiici queant, Grotius repetit ex eo, qui mittit, ex eo, qui mittitur, et ex eo, ob quod mittitur,

g) cit. Diff. §. XXVII. not. a)

ad eas apte *Juſt. PRESEVTA* h) regeffit, illum hoc ipſo non posſe non omnem huius negotii exitum in manum recipientis resignare. Omnium autem minime gens, cuius Legatum altera gens transire suas prouincias vetus aut admittere recufauit, iustum fortasse belli cauſam praeuertere poterit. Recte enim *Nic. Hier. GYNDLINGIVS* i) iam scriptis: *Iniuriae loco haberi nequit, Legatum non eſſe admissum.* Nam etiā caeteroquin nihil dubitationis habet, quin reieccio Legationis ad contumeliam mittentis suo modo pertineat, et alienati erga eum animi signum prodat, hoc tamen non sufficit, vt proprie iniuriam accepisse videamur, quae ex laefo iure nostro oriatur. Res hic loci vertitur inter liberos populos, vbi neuter alterum obligare ſibi potest abſque facto ſuo et confensu. Et fi ſaltem renunciatum fit, non admitti neque audiri Legatos, hanc repulſam mittens neutiquam poterit iniuriam reputare multoque minus de violato gentium iure agere. Quid enim hoc ad ius gentium, Legationem non iri admissum? certe reiiciens Legatos ex hoc capite haud videtur iniuriam feciffe. Nam nihil aliud commiſit, quam vt iure ſuo vteretur. Sed qui iure ſuo vtitur, nemini facit iniuriam. Omnino tamen iniuriam tunc inferri exiſtauerim mittenti Legatos, fi is, ad quem mifſi ſunt, eos cum conuicio reiiceret contumelioſe que traſtaret. Hoc Guglavum Adolphum Sueciae Regem Ferdinandu II. Romanorum Imperatori obiecifſe *Nic. Hier. GYNDLINGIVS* k) ſcribit. Sed in ea re haud dubie falsus Vir doctus

h) l. c. §. 76.

i) in *Iur. Nat. et Gent.* cap. XXXVI, §. 171.

k) l. c.

fuit. Longe enim aliter rem memoriae prodidit Sam. L. B. a  
RVFFENDORF<sup>1)</sup>, dum ait: *At vero id a Gustavo fuisse captatum,*  
*ut ignominiose reieclis suis Legatis plausibilem armorum in Caesarem*  
*causam nanciseretur, quod quidam malevoli cauillabantur, id absurdum*  
*plane commentum erat. Nam etiam antea non pauca Caeſariorum*  
*in ipsum hostilia facta extabant; ac nemo tantam inhumanitatem ex-*  
*pectare poterat, que a cultiorum gentium more plane abhorrebat.*  
Id potius videtur male sensisse Gustavus, quod ipsi ad conuentum  
Lubecensem, vbi de pace Imperatorem inter et Daniae Regem  
agebatur, aditus paecluderetur.

---

IX.

*Interdum gens Legatum sibi destinatum recusare  
haud potest. Num gens praescribere possit con-  
ditiones, sub quibus Legatum admittere velit?*

Quamquam autem supra (VII.) diximus, negotium  
publicum, de quo mutua cum Legato deliberatio institui de-  
beat, in se spectatum in vniuersum haud efficere, vt ad-  
missio illius sit necessitatis; hoc tamen omnino secus se  
habere videtur, si negotium hoc publicum eiusmodi sit, vt  
genti Legatum illius expediendi cauſa mittenti per denegatam  
eius admissionem lachio inferatur. Nam cum omnis libertas na-  
turalis limitetur obligatione alios non laedendi et obligatio ad

1) *Commentariorum de rebus Suecicis in Germaniam ad abdicationem vsque ab expeditione Gustavi Adolphi Re-*  
*gis in Germaniam ad abdicationem usque Christinae Lib. II. §. 12.*

finem obtainendum secum ferat obligationem ad media necessaria, profecto, si gens alteri genti significet, se Legatum ad eam mittere velle iuris sui cuiuscunque perfecti probandi vel persequendi causa, gens alteri genti ius perfectum eriperet, si nullum tunc eius Legatum admittere vellet. Atque in tali quidem specie e denegata Legati admissione gens detrimentum sentiret, haberetque adeo, cur de illata sibi laesione conquereretur. Quamobrem nec improbanda est opinio Illustri, L. B. DE MARTINI existimantis, gentem absolute teneri Legatum admittere, si eo consilio sit missus, ut propter laesionem suae genti illatam satisfactionem postularet, et praesentem laesionem auerteret, de futura autem cautionis praestationem exigeret. Cum enim in tali specie laesa gens iure gaudeat Legatos mittendi, iuri autem vnius respondeat obligatio alterius, iniuste sane actura esset gens, si Legati admissionem detrectare vellet. At vero extra hunc casum vix dici possit gens iuris necessitate ad recipiendum Legatum cauta, et frustra profecto Legatus, qui sine pacto venit admitti cupiens, prouocaret ad iuris gentium auctoritatem. Praeterea vero nec hoc silentio praeterendum est, gentem, si decreuit admittere Legatum, simul praescribere posse conditiones, sub quibus eum audire velit. Nam cum obligatio gentis ad Legatum alterius populi admittendum naturaliter ex eiusdem consensu adeoque ex pacto sit repetenda: liquido apparet, gentem omnino oportere facultate praeditam esse modum Legato et conditiones ponendi, sub quibus ipsum recipere vel ei commorationem in suo territorio indulgere velit. Hinc saepe numero de conditionibus admittendae Legationis mutuo

E



consensu inter gentes actum. Atque his quidem standum mit-  
tentи fuisse, luculenter euincunt exempla, quae eam in rem pro-  
stant. Ita enim, vt vnius tantum meminerim, *J. presb. F. m.* commemorat, cum aliquando in aula Viennensi Ablegatus  
Galliae Gremouillus Legati magni characterem induere voluisset,  
cuius rei caussa etiam mandata a Rege suo et litteras fiduciarias  
aceperisset, Imperatorem ipsi denunciari curasse, si in animo ha-  
beret Hispano controuersiam de loco facere, quem ille apud se  
primum ex longa possessione obtineret, ipsum pro Ambasciatore  
non iri admissum, atque in hac voluntatis declaratione Gallum  
etiam acquiescere oportuisset. Quod procul dubio non factum  
fuisse a Rege, quippe qui potius destinata perficere penitus per-  
rexisset, si ius quoddam sibi esse Legationis inuitio etiam obtru-  
dendae credidisset.

*m)* libr. com. §. 76. et 86.

## X.

*Quo iure gens in Legatum uti possit, qui sine eius  
consensu territoriorum illius ingressus est.*

Sed et illud quoque in praesenti disquirendum venit, quoniam iure gens gaudet in Legatum, qui venia haud impetrata pedem territorio illius inferre vel ad eo admissionem Principi extorquere conetur. Ac quamquam extra dubitationem positum est, Legatum, qui sine consensu gentis prouincias eius intrat aut transit, aut admissione potiri audet duris ac rigidis exactionibus, iura illius violare; certum tamen etiam habetur, illum tanquam subditum tractari non posse, neque vim ei fieri debere, qualem fortasse licet Principi inferre iis, qui eius potestati subiecti sunt. Cum enim sustineat Legatus personam mittentis et iuribus naturalis aequalitatis gentium fruatur, haud dubie vehementer erraret, qui sibi persuadere vellet, illum poena affici posse. Quapropter iam Angliae Iuris consulti, quemadmodum *Guil. CAMB.  
DENVS n)* refert, cum ex iis quaesitum esset, an Johannes Leslaeus Episcopus Rossensis Legatus Mariae Reginae Scotiae apud Elisabetham Anglicam ob machinationes contra hanc Reginam agitatas poenae tanquam subditus subiici posset? inter alia optimè responderunt, Principem posse prohibere Legatum, ne regnum intret, et iubere ut regno exeat, si intra terminos Legato pree-

*n) Annal. rer. Angl. et Hibern. regnant. Elizaberb. P. I. ad annos  
ciclop. LXXI.*



scriptos se non contineat; interim tamen ille Legati priuilegiis pro auctoritate delegata fruatur. Neque profecto absque idonea ratione Philippus II. Hispaniae Rex indignatus est, Alvarum a Quadra Episcopum Aquilanum ipsius in Anglia Legatum ipso inconsulto, iubente eadem Regina Elisabetha, fuisse domi conclufum, interrogationibus subditum, et publice reprehensum, nec alia de cauſa, quam quod Italum, qui in alterum bombardam disploferat, in aedes fugientem admiferat et clam emiserat, id quod idem CAMDENVS o) memoriae prodidit. Nam quod Hispanus, apud quem Regina de homine reuocando egerat, propterea quod ipsi ſuſpeccus videbatur, quaſi rebus in Anglia turbandis et amicitiae inter ipsam et Philippum discindendae totus incumberet, desiderio illius haud fatisficerat, imo potius rescriperat, incommode cum Principibus agi, si ex qualibet offenſa Legati domum reuocarentur, id ſane Elisabethae haud poterat ius praebere illum tanquam subditum tractandi, cum Legatus, si vel maxime hostiliter egisset, nunquam amisifret immunitatem ab imperio, et Reginae, ſi ab Hispano voti ſui compos haud reddeſetur, eum expellere integrum fuſſet. Solo igitur eo iure, quod laetus in laudentem ſive hostis in hostem exercet, gens gaudebit aduersus Legatum, qui ei ſe obtrudit, quoniam hoc modo hostis illius euafit. Atque ita poterit gens eiusmodi Legatum arcere a finibus, impedire progressu, excludere a conuentibus et colloquio cum ſummo imperante, dimittere denique ſine r eſponſione. Adeo huius generis Legatos a gentibus comprehenſos, detentos, in

o) com. Libr. P. I. ad ann. CCCCCCLXIII.

carcerem coniectos, spoliatos, vinclatos, imo imperfectos quandoque fuisse, luculenter passim testantur exempla, quae ex veteribus auctioribus *Hugo GROTIUS p)* iam collegit. Et frustra Franciscus I. Galliarum Rex violati iuris gentium accusauit Carolum V. Imperatorem, quod illius Legati Antonius Rinconus et Caesar Fraegosius Pado flumine per agrum Mediolanensem occultum iter Venetas et inde Constantinopolim ad hostes Domus Austriae meditantes imperfecti fuerint, quicquid etiam *Emer. de VATTEL q)* contradicat. Recte enim Carolum respondisse, *Iust. PRESBEVTA R*) censuit, cum per ipsius territorium non denunciato aduentu clam iter fecissent, neque cum Legatorum comitatu, sed exploratorum more, se de caede perpetrata non debere rationem reddere; neque a se postulari posse, vt qui studio occultare se et subfurari quasi e conspectu publico vellent, ipse eos pro ministris publicis agnoscat.

p) com. loc. §. V. 1. — q) com. loc. §. 47.

q) c.l. Tom. III. Liv. IV. ch. VII. §. 84.

XI.

*Transitus et Admissio Legati, quo iure inter Gentes  
Europae hodie soleant aestimari?*

Etsi vero cuncta haec, quae hucusque disputauimus, cum praceptis stricti iuris quam maxime conueniunt, certum tamen etiam atque expeditum habetur, eo iure, quo hodie gentes Europae inter se vtuntur, illius rei plerumque longe aliam rationem esse. Cum enim gentes quam plurimae in foederibus, quae vel pacis, vel aliorum negotiorum causa inde a plurimis annis inter se iniuerunt, ante omnia sibi expresse promiserint mutua amicitiae officia, haec vero quosuis alterius reipublicae subditos ab iniuria tutos praestent, omnibusque ac singulis liberum ingressum, regressum et transitum permittant, non potuerunt non haec ipsa pacta atque conuentiones eo vsque sensim valere, vt gentes alterius quoque populi Legatos suas prouincias transire paterentur, sibique missos adeo admittere haud dubitarent. Saepenumero etiam prudentia fusat vni alterie genti, vt Legatum haud facile transitu et admissione prohiberet. Neque negandum est, vel inde consuetudinem quandam Legatos admittendi inualuisse. Quemadmodum autem institutum hoc non apud omnes populos vno eodemque modo obtinet, ita etiam vsu tantum obseruatur, quamdui pax durat. Nam bello quidem subinde orto nihilosecius iuri gentium vniuersali locum vel hodienum esse, satis constat, et ipsa exempla, quae adeo historia recentioris aevi suppeditat,

Iuculenter testantur. Unde *Io. Jac. MOSERVUS* s) scribit, ordinarie nihil dubitationis habere, quin Legatus a gente libera ad aliam missus ab hac tanquam talis agnoscatur et admittatur. Extra ordinem enim tantum euenire, ut admissioni Legatorum non locus detur, et quidem si is, qui Legatum misit, haud agnoscatur talis, qualis haberit velit, aut si inter aulas adeo ingens discordia sit enata, ut vna alteram bello iam petierit, vel saltem bellum minetur, aut si Legatus tali charactere vtatur, quem ex voluntate eius, ad quem missus est, mittens illi tribuere haud potest, aut si persona minus digna sit missa, aut si nouerit gens vel fortasse suspicetur, Legato talia mandata esse, quae ipsi molesta sint futura et ad imminuendum eius honorem pertineant. Quae cuncta etiam *MOSERVUS* t) exemplis illustravit. Ipsam reiectionem Legati fieri oportere aut antequam, aut dum litterae credentiales traduntur vel transmittuntur, aut dum Legatus petit, ut publice audiatur, idem *MOSERVUS* u) obseruat, qui et simul diuersos modos, quibus Legato soleat significari, se non admissum iri, attulit. Caeterum non fert ratio instituti nostri commemo- rare hoc loco ceremonias, quibus Legati excipiuntur, vel ante aduentum, cum iis obuiam itur, vel ipso aduentus sui tempore, vel tunc, cum publicum iis auditorium praebetur. Ostendit iam

s) in den *Grundsatzen des jetzt Friedens- und Kriegszeiten*, III. Th. *ublichen Europäischen Völkerreches* in IV. Buch 9. Cap. §. 2 et 3.

*Friedenszeiten*, im III. Buch im 13.

Cap. §. 1. seq. pag. 241. seq.

u) in den *Grundsatzen des jetzt*

*com. loc. et im Versuche des üblichen Europäischen Völkerreches,*  
*neuesten Europäischen Völkerreches* in c. l. §. 14. pag. 243.

*Corn. van BYNCKERSHOECK, v)* maiorem minorēmū iis hono-  
rem haberi pro Principis mittentis dignitatē, et pro ipsius Legati  
varia conditione, magni enim referre in exhibendis ceremoniis;  
cuius commatis ipse Legatus sit. Et in ipsis adeo iis, quae in  
publico introitu, solemnis colloquiis, pompisque publicis, Le-  
gato primi ordinis tribuuntur, rursus aularum ceremoniae inter-  
fe discepant. Redit enim tota res ad cuiusuis aulae ceremonia-  
rum regulas et exempla, nec non ad conuentiones et ius possessio-  
nis. Recensuit has solemnitates in vniuersum ac breuiter Illustr.  
Georg. Frider. a MARTENS *w*), qui tamen ipse obseruat, per-  
multa in eiusmodi pompa solemni a vario aularum ceremoniali  
pendere. Exempla autem atque descriptiones eiusmodi solemnitatum  
*Jo. Jac. MOSERVS x)* multa diligentis suppeditauit, ad  
quem lectors harum rerum cupidos ablegamus.

*v) Quest. Iur. Publ. Lib. II. cap. 6. pag. 223.*

*x) im Verfuche des neuesten Euro-  
päischen Völkerrechts Th. III. B. IV.*

*w) libr. com. Lib. VII. cap. 4. cap. 10. S. 251. 269. u. f. et in den  
§. 161. seq. pag. 154. seq. et in der Beyträgen zu dem neuesten Europäi-  
schen Einleitungen in das positive Europäische schen Völkerrechte Th. III. S. 304:  
Völkerrecht. Göttingen 1796. B. VII. 309 u. f.*

*Hauptst. IV. §. 203 u. f. S. 240 u. f.*

PRAENOBISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

R E S P O N D E N T I

S. P. D.

P R A E S E S.

*Cum in societatem colloquii, quod propediem cum  
Viris doctis inire constituiſti, ſimul me vocaueris,  
ea in re tanto minus defiderio TUO potui deesse,  
quanto magis cum Patris TUI Viri celeberrimi in  
me voluntas, tum ipſa TUA in me beniuolentia a  
me videbantur poſtulare atque efflagitare, vt huic  
TUO conſilio, quantum poſſem, ſatisfacerem. Li-  
bellum, quem proprio Marte elaboraſti, ſpero ac  
plane conſido, TE ita deſenſurum eſſe, vt per hanc  
occaſionem ingenii TUI dexteritas atque doctrinae  
praeſtantia, quam indeſſo studio TIBI paraſti, in-*



notescant cunctis, qui TE disputantem sunt audi-  
turi, et iustis simul laudibus ornentur ac celebren-  
tur. Hoc autem specimen eruditio[n]is quemadmodum  
TIBI vehementer atque ex animo gratulor, ita  
etiam opto, ut per omnem vitam prosperrima vale-  
tudine perfruaris et conatibus TUIS semper respon-  
deant felicissimi exitus; in primis ut diligentiae p[re]a-  
mia mox ea capias, quae TUIS TUAE que fami-  
liae nobilissimae votis sint quam maxime accommo-  
data. Vale. Scripsi in Lipsica Litterarum Vni-  
uersitate d. XXVIII. Mart. A. C. N. clcccxcvii.





Leipzig, Diss., 1797

X 2309032

6078






179724

B.I.G.

Black



DE

# TRANSITV ET ADMISSIONE LEGATI

EXERCITATIO IVRIS GENTIVM

QVAM

ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE

P R A E S I D E

D. CHRISTIANO RAV

CODICIS PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO, ECCLESIAE  
CATHEDRALIS MERSEBURGENSIS CAPITVLARI ACADEMIAE  
DECEMVIRO, SVPREMAE CVRIAЕ PROVINCIALIS ET  
FACVLTATIS IVRIDICAE ASSESSORE

A. D. VI. APRILIS A. C. N. CIOICCCCXCVII

DEFENDET

A V C T O R

IOHANNES HENRICVS HILLER  
LIPSIENSIS

LIPSIAE

IMPRESSIT CAROLVS TAVCHNITZ.

